

bellico ictus, eodem anno, quo Rex electus est, perit: licet alii affirmant dysenteria in Thuringia eum perisse.

ELIZABETHA Ducissa de Braunschweig vxor Henrici, sterilis fuit, ac cum marito in Isennacho oppido Thuringiæ sepulta.



GVLIELMVS filius Florentii IIII. eius nominis, & Mechtildis filia Henrici Ducis Brabantiae amitae Diuae Elizabethae, iuuenis imberbis, vix xx. annos natus, defuncto Henrico contra Fridericum & Conradum filium ab electoribus Rex electus est. Princeps ad arma natus, qui Holandiam, Zelandiam & Frisiam paternas prouincias feliciter administravit. Aquisgrami in praesentia electorum & Antistitum coronatus est, ac tam feliciter imperium administravit, vt summa pax eo regnante in vniuersa Germania esset. Contra Flandrenses multa bella gessit, Frisiam debellavit, & subegit. Et cum victor terram egressus esset, delatus in glaciem, cecidit, ac a quibusdam fugitiuis secus viam in arundineto latitantibus, cuspidibus transfixus est, cum ix. ferè annos imperasset.

ELIZABETHA filia Othonis Ducis in Braunschweig & Luenburg vxor Gulielmi, ex qua filium Florentium & filiam Beatricem progeniuit.

R 2

RICH